



Zweiter Jahresbericht  
des  
Städtischen Gymnasiums zu Inowraclaw,  
wodurch  
zur öffentlichen Prüfung der Schüler  
am 10. April von 8 Uhr Morgens ab, und am 11. April  
von 8 bis 11 Uhr Vormittags  
einladet  
Theodor Bernhard Günther,  
Direktor des Gymnasiums.

---

Inhalt: 1) De casuum obliquorum in lingua latina ui et usu. Scripsit  
Dr. Julius Ebinger, praec. gymn.  
2) Schulnachrichten vom Direktor.

---

1865.  
Druck von M. Latte in Inowraclaw.



# Journal des débats

1852. II. Année de la Révolution et de la Restauration.

Journal quotidien de politique et d'actualités.

1852.

Journal des débats

Journal quotidien de politique et d'actualités.

1852.

Journal des débats. Année de la Révolution et de la Restauration. 1852. Tome 1. Paris. Imprimerie de la Société de l'Amicale des amis de la Patrie.

Journal des débats (1852)

---

2025

Archives nationales de France

# DE CASUUM OBLIQUORUM IN LINGUA LATINA UI ET USU.

## §. 1. Praefatio.

Hac nostra disputatione cum denuo ad illam quam abhinc triennio de casuum natura instituimus quaestionem<sup>1)</sup> reuertamur atque ea quae tum de casibus linguae graecae probasse uide-  
mur iam eadem in casus linguae latinae cadere demonstraturi simus, hoc quidem negare non pos-  
sumus, etiam hodie de casuum notione a uiris doctis aut admodum perplexe aut prorsus peruerse  
iudicari neque id evenisse quod tum sperauimus, fore ut his studiis magis magisque propagatis  
etiam casum intelligentiae brevi lux adferretur. Nam quidquid hoc triennio quo noster libellus  
editus est a uiris doctis de hoc loco scriptum atque disputatum est, quum fere alii magis aliis in-  
ueteratas et prauas opiniones iterum atque iterum repetant et recoquunt, tam parui est momenti, ut  
etiam nunc in eo uersetur res, ut alii a loci relationibus profectam esse casum notionem censeant,  
aliu casus iam ab initio relationibus grammaticis inseruisse contendant.

Ac primum quidem nouus doctrinæ localis patronus exstitit Wedewer<sup>2)</sup>, quamquam equi-  
dem dubito num magnopere ii qui hanc sententiam sequuntur uiri opera adiuti sint. Qui cum de  
aliis rebus grammaticis leuiter et parum subtiliter disputet, tum de casibus haec sentit:

„Die Casus obliqui nämlich, welche hier in Betracht kommen, lassen sich auf die drei räumlichen Beziehun-  
gen, in welchen ein Gegenstand zu dem andern treten kann, zurückführen. Der Gegenstand der Beziehung  
„kann der Ausgangspunkt oder das Woher, der Zielpunkt oder das Wohin, der Ruhpunkt oder das Wo für das  
„Subjekt oder dessen Thun oder Zustand sein. Aus diesen Raumanschauungen entwickeln sich dann die ab-  
„strakteren, logisch-grammatischen Beziehungsgriffe der Casus.“

1) De genetivi apud graecos poetas antiquissimos usn. Regimont. Pr. 1862.

2) Wedewer, Zur Sprachwissenschaft. Freiburg. 1861. p. 110.

Etiam Steinhalt<sup>1)</sup> qui harum rerum grauissimus et locupletissimus auctor est, dubitandum esse negat quin casibus antiquitus relationes loci redditae sint: postea cum praepositiones in usum uenire coepissent, illam pristinam casuum notionem paullatim abiectam esse et casus suam sibi ueram naturam induisse. Ueram autem naturam casuum esse ut indicent non quae sensibus percipiamus, sed qua ratione uocabula grammaticae conjungenda et inter se referenda sint.

Denique haec eadem de casuum natura quaestio nuper anno 1863 in Conventu Philologorum proposita et in utramque partem diligentissime disceptata est<sup>2)</sup>. Longiore oratione prof. dr. Curtius eoram sententiam, qui a locis relationibus casus profectos esse uellent, refutabat et diluebat. Nam iam casuum formis nos adduci, ne his formis illas tam inter se distinctas tres loci relationes subiectas fuisse putemus. Deinde temere aduersarios facere, quod cum omnes hominum notiones a sensibus profectos arbitrentur, necesse esse colligant etiam casuum notiones a sensibus i. e. relationibus loci profectos esse. Esse enim etiam praeter relationes loci alias relations, quae item sensibus percipientur. Accedere quod antiquissimus sermo multo copiosior fuisse uideatur, quam qui nullos casus habgret nisi tres: casum instrumentalem ex ista doctrina nullo modo explicari posse: denique in locum eorum casuum, qui posteriore aetate in linguis iam non inueniantur, persaepe alios substitui, qui relationem loci reddant plane contrariam. Respondit huic disputationi prof. dr. Lange, qui cum contrariam sententiam tueri et defendere conaretur, tamen negare non potuit, casus ex illis tribus notionibus tam diuersis ortos esse non posse; uideri autem has notiones in mente pristinorum hominum, quippe qui usu, non ratione ducerentur, obseuiores et minus dilucidas inhaesisse.

Etiam hae disputationes quamvis multa subtilia neque contempnenda afferant, tamen magis id agunt, ut demonstrent quae non sint probanda, quam ut doceant quaenam fuerit propria casuum natura. Itaque nobis non alienum uisum est, iterum ad hanc quaestionem reuerti atque eadem ratione qua tum graecae linguae casus excussimus, nunc in casus inquirere linguae latinae. Nam nisi antea singulas linguas perscrutati erimus, de casibus omnino recte iudicari non potest.

## §. 2. De casuum linguae latinae communi natura et origine.

Ut in lingua graeca si quis leuius rem tractauerit facile ad eam sententiam pellici potest, ut casuum propriam naturam in loci relationibus positam esse existumet: ita concedendum nobis est, inesse in lingua latina fortasse etiam plura, quibus in istum errorem inducaris. Nonne enim illae praepositiones in, sub, subter, super ita cum accusatiuo aut ablatiuo coniunguntur, ut clarissime intellegas, accusatiuo indicari locum, quo quid contendat; ablatiuo locum, ubi quid sit? Nonne in nominibus urbium istae tres loci relationes unis casibus nulla addita praepositione redundunt? Nonne denique poetae, qui cum magis ad sermonis naturam descendant, hac in re haud

1) Steinhalt, Characteristik der hauptsächlichsten Typen des Sprachbaus. Berlin. 1860 p. 301. Ceterum licet nobis hoc loco eos, qui etiam uesterum grammaticorum de casibus comparare ne-  
lint sententias, ad eiusdem delegare librum: Geschichte der Sprachwissenschaft bei den Griechen und Römern. Berlin 1863. p. 621 sqq.: quo quidem loco haec omnia multo accuratius exposita sunt, quam in Lersch, die Sprachphilosophie der Alten. Bonn 1838. vol. II. p. 181 sqq. p. 229 sqq.

2) Verhandlungen der Philologenversammlung zu Meissen. Leipzig 1863. Adde: Be-  
richtiger Abdruck der Entgegnung des Prof. Dr. Lange aus Giessen gegen den von Prof.  
Dr. Curtius über die localistische Casustheorie auf der Philologenversammlung zu Meis-  
sen gehaltenen Vortrag. Leipzig 1864.

negligendae auctoritatis sunt, nonne igitur poetae etiam aliarum uocum singulos casus usurpant, ut loca uel quo quid contendat uel ubi sit uel unde profiscatur indicent? Quid igitur est, quod aut magis perspicuum sit aut rei ipsius naturae aptius conveniat, quam casuum significationem pristinam et propriam fuisse localem? Tamen qui ita ratiocinantur non tident tantum abesse ut ipsorum sententia illis argumentis probetur, ut fundibus se ipsa enertatur. Nam ut omittamus, id quod ex lingua sanscrita euidentissime colligitur, praepositiones olim cum uerbo artiore uinculo coniunctas fuisse atque antiquitus casus huius verbi compositi notioni accommodatos esse, ita ut cum obiectum postularetur, accusatiuus, cum determinatio aduerbialis ablutiūs poneretur<sup>1)</sup>; ut rursus omittamus, in nominibus urbium vel antiquissimos poetas sibi non constare<sup>2)</sup>; ut denique silentio praetcreamus, poetas magis linguae graecae usum secutos esse, quam ad sui sermonis naturam respexisse<sup>3)</sup>: profecto hoc neque dissolui neque expediri potest, quo tandem fiat ut et ablutiūs modo unde quid moueatur modo ubi sit significet, et quaestioni ubi duo casus respondeant ablutiūs et genetiūs — uel si manis localis<sup>4)</sup>. Huic rei in qua tota ista haeret disputatio, si ita occurruunt<sup>5)</sup>, ut illas notiones locales tam certas aut definitas fuisse negent, quare facile fieri potuerit, ut usu inter se confunderentur, mili quidem melius uidetur, omnino omnem casum definitiōnē tollere: nam formae, quae non plus inter se discrepant, praesertim in hac tam manifesta relationum localium diuersitate, omnino non inter se discrepant.

Atque haec quidem de doctrina locali. De contraria autem sententia cum ad linguam latīnam eadem pertineant, quae alio loco de sermone graeco exposuimus<sup>6)</sup>, hoc loco nihil habemus quod adiciamus.

Itaque cum harum duarum sententiarum neutra stare possit et manifestum sit uiros doctos eo maxime in errorem incidisse, quod ex falsis falsa repeterent: iam his sententiis prorsus omissis id nobis agendum erit, ut aliam uiam nondum tritam quaeramus, qua fortasse rectius casuum notiones interpretemur. Atqui primum constat, casuum terminations ex radicibus pronominalibus manasse<sup>7)</sup>: pronominiū autem uis principalis fuit demonstratiua<sup>8)</sup>: quid igitur impedit, quominus etiam casuum uim principio fuisse demonstratiua arbitremur? Porro dubitare non possumus, quin casus principio verbo adiuncti sint<sup>9)</sup>: usurpati igitur sunt, ut indicarent, quae ratio inter actionem uerbi et rem, ad quam aetio pertineret, intercederet. Ergo casus sunt eae formae nominis quae uia demonstratiua (at non locali) relationes actionis (i. e. uerbi) et rei (i. e. nominis) indicant. Nam cum sermonem prisci homines non ita fixerint, ut primum radices invenirent, inventasque has inter se adiungerent, sed iam ab antiquissimis temporibus lingua ea ratione conformata sit, ut omnia pulcherrume aptissimeque inter se cohaererent et conuenirent, necesse est illos qui primi sermone uterentur sua sponte iam ab initio adductos esse, ut has relatio-

1) Conf. Schwarz, de praepositione **de**. Regim. Pr. 1859.

2) Conf. Brix ad Plaut. Trinumm. I., 2, 75. Adde Plaut. Trin. III., 3, 43. Mil. II., 1, 22. 35. 5, 31. III., 1, 53 et persaepe.

3) Uide infra §. 3.

4) Uide infra §. 6.

5) Uide Lange l. c. p. 4.

6) De genetivi apud graecos poetas antiquissimos usu, p. 18 sqq.

7) Conf. Heyse, System der Sprachwissenschaft. Berlin 1856 p. 150.

8) Ibid. p. 111. sqq.

9) Conf. quae de hac re disputauit libro meo de genetivi a. g. p. a. usu p. 19 sq.

nes notarent. Sentiebant esse tales relationes; sentiebant aliud esse alicui prodesse, aliud aliquem iuvare, aliud aliquid occupare, aliud aliqua re potiri: sed cum has relationes non arte aliqua, sed naturali quodam sensu percipere coepissent, has relationes non ipsas dicendo expressebant, sed tantum indicauerunt illis terminationibus demonstratiuis. Cogitabant relationes, reddiderunt demonstratiue eadem ratione, qua in nominum radicibus ipsis notiones cogitabant, ea, quae sensibus percipiuntur, expresserunt.

Sed ut jam ad nostram quam de casibus latinis instituimus quaestionem redeamus, in linguis indogermanicis praeter nominativum et vocativum, quos hoc loco praetermittimus, sex huius generis casus inueniuntur; atque cum neque probari possit neque verisimile sit unquam plures fuisse, ex his sex casibus, ut olim graecos casus deriuauimus, nunc etiam latini interpretandi erunt. Sunt autem hi casus accusativus, dativus, genetivus, ablativus, localis, instrumentalis: ex quibus accusativus, dativus, genetivus haud ita differunt a casibus, qui similes in sermone latino, graeco, germanico inueniuntur. Ablativus deinde notat, quo quid loco profiscatur, localis, ubi sit, instrumentalis qua condicione fiat<sup>1)</sup>.

Ex his sex casibus in lingua latina non plus quatuor seruati sunt: nam uti plerumque fit in rerum progressu, ut in sermone illa cognitionis quae antea erat alacritate et ubertate repressa paullatim pristina copia angustioribus describatur finibus et certis terminis definitiatur: ita in lingua latina cum tres ceteri casus integri manserint, ablativus unus trium casuum vicibus fungitar atque quidquid uerbi actionem determinat solus significat. Quo fit, ut de aliorum notiunibus disserere haud ita difficile sit, de ablativo quaestio multo impeditius et contortius se habeat: qua de re fusius disputare nobis propositum est proxumis paragraphis. Sed priusquam ad haec transeamus, liceat paucis graecos casus cum latinis comparare atque quo pares sint, quo inter se differant, demonstrare.

### §. 3. Comparantur casus linguae graecae et latinae.

Linguae graecae latinaeque casus si re uera ex eadem lingua indogermanica quasi communis fonte manauerunt, sequitur hos casus inter se, si subtiora omiserimus, haud ita diuersos fore. Nam licet illae notiones, qui cogitatione tantum comprehendenderentur, commutari paullatim potuerint et euanscere, tamen ille quidam sensus naturalis mansit, ex quo casus nati erant: quo sensu duce homines, praesertim cum usus in dies magis inueterascere coepisset, ipsi insci illas quoque notiones retinuerunt. Atque ita effectum est, ut quacunque in lingua siue Latina siue graeca siue germanica casus perscrutamur, ubique easdem fere notiones reperiamus.

Attamen, si accuratius res perspexeris, hoc negari non potest, nonnulla inveniri haud ita leuia, quibus rursus ex altera parte graeci casus a latinis differant. Jam eo quod lingua latina ablativum retinuit, graeca abiecit, omnes casus in lingua latina longe aliam ac paene diuersam sibi sumserunt naturam. Nam in graeco sermone illi tres casus, qui proprie obiectum indicant, cum etiam ad determinationes aduerbiales referrentur, magis ut ita dicam sensibus atque oculis subiecti sunt: in sermone latino omnia, quae non actionis obiecta sunt, in ablativum conferantur: quo fit ut casus magis artis et rationis sint, illo illustri careant. Atque hoc rursus aptum et connatum est

1) De ablativo et instrumentalis conferas quae adferemus §. 6. adn. 1. 5.

eum utriusque gentis propria sibi natura. Nam uerum est, quod uiri ingenii acumine praestantissimi docuerunt, nulla paene ex re ingenia et mores populorum tam dilucide cognosci atque intellegi, quam ex sermone. Itaque ut graecorum animi quae erat ingenii ubertas et hilaritas, ad expressum atque illustre dicendi et cogitandi genus conformati erant, ita in græcis casibus rerum quasi imagines prope oculis ipsi uidemus. Romani grauiores erant et seueriores et magis sobrii: atque idem ex latinis casibus intellegitur, qui tantum grammaticas relationes reddunt, uarietate colorum carent. Qua re efficitur, ut cum legimus græca, omnis nostra cogitatio magis ex omnibus partibus agatur, sin latina, minus commoueamur.

Neque alia ex causa explanandum uidetur, quod apud græcos usque ad ultimas aetates casuum notio uiguit et haesit in hominum mentibus, apud Romanos usus, qui angustissimis finibus circumscriptus erat, præualeret, notio ipsa obliuione opprimeretur et ex memoria euaneceret. Nam in iis, quae mens non semper ut ita dicam oculis cernat, fieri non potest quin omnia usu et consuetudine administrentur. Illae autem grammaticae relationes nihil habent, quod sub oculos eadat. Itaque necesse erat, paullatim casuum notionem in usu totam consistere. Quamobrem facilius est in lingua latina docere quomodo singulis casibus utaris, quam qua ratione eos intellegas.

Atque etiam maior ea fit difficultas, quod cum literae romanae efflorescere inciperent, multi scriptores pulchritudinem sermonis græci admirati patrium sermonem ad hunc conformare studebant. Sic iam ab initiis prouisum est, ne lingua latina per se ipsa cresceret, et perficeretur: sic etiam casuum notionibus multa obtrusa sunt, quae a natura latini sermonis prorsus aliena erant. Nam, ut hoc unum afferam, vix equidem puto quemquam nisi græcis literis imbutum intellexisse illud Uergilianum Aen. VIII, 114 qui genus? (i. e. quo genere estis); et similia permulta apud poetas posterioris aetatis inueniuntur.

Denique etiam hoc cum sermoni latino, tum casibus latinis obfuit, quod prius grammatici de lingua disserere coeperunt, quam magna scriptorum opera exsisterunt. Apud græcos iam fuerant Homerus, Sophocles, Herodotus, Thueydides, Demosthenes, allii permulti, cum alexandrini grammatici linguam uia et ratione aggressi sunt. Apud Romanos Uarro iam diu librum de lingua latina scripserat et alii artem grammaticam professi erant, cum Ouidius et Horatius poemata ediderunt. Itaque in lingua latina omnia certa lege obstricta sunt: admiramur artem, rem ipsam desideramus.

Intellegimus igitur, si lingua latina iam ab initio, cum literis mandari copta est, a recta et naturali uia aberrauit, quanta opera ei, qui in rem accuratius et diligentius inquirit, in eo collocanda sit, ut recte distinguat, quae uerae casuum naturae conueniant, quaeque extrinsecus repetita sint.

#### §. 4. De accusatiuo datiuo genetiuo.

Instituimus hos tres casus, accusatiuum datiuum genetiuum, una disputatione complecti, tum quod ut supra diximus hi soli fere integri ex lingua indogermanica in latinum sermonem defluxerunt, tum quod hoc quidem loco de singulis pluribus disserere nobis non licet. Accedit quod alia est uia colligentis quae in sermone usitata fuerint, alia perscrutantis cur usitata fuerint: id quod nos imprimis spectamus.

Hos autem tres casus in sermonem latinum translatos esse ex lingua illa quae antiquis temporibus gentibus indogermanicis communis fuit, clarissime intelleges, si singulas linguas quae ex illa profectae sunt comparaueris. Nam formantur hi casus ita:

<i>l. sanscrita.</i>	<i>l. latina.</i>	<i>l. graeca.</i>	<i>l. gothica</i> <sup>1)</sup> .	<i>l. lituanica</i>	<i>l. polonica.</i>
S. N. marut	miles (=t-s)	pus (= od-s)	dag-as (dag-s)	rank-a	ręk-a
A. marut-am.	milit-em	pod-a (= -an)	dag-an (dag)	rank-ą	ręk-ę
D. marutē <sup>2)</sup>	milit-i	pod-i	dag-ai (dag-a)	rank-ai	ręce (= k-ie)
G. marut-as	milit-is	pod-ōs	dag-ais (dag-is)	rank-ōs	
P. N. marut-as	milit-es	pod-es	dag-ōs	rank-os	
A. marut-as	milit-es	pod-as	dag-ans	rank-as	
D. marud-bhyas	milit-ibus				
G. marut-ām	milit-um	pod-on	dag-ēm (dag-ē)	rank-ū	

Quamquam negare non possumus, multa adhuc aut difficultuma esse exploratu, aut a uiris doctis in utramque partem disceptari: qua de re qui uelint accuratius edoceri, delegamus ad Heyse l. c. p. 437. sqq. Hoc quidem certum uidetur, latinos casus ex eodem fonte profectos esse, ex quo casus linguae graecae ceterarumque quae his affines sunt, manauerint. Sin autem formas antiquitus easdem fuisse conceditur; consentaneum est latinis casibus nos easdem quoque notiones subiicere, quas in sermone graeco statuimus<sup>3)</sup>.

Principalis igitur accusatiui etiam in latino sermone uis fuit, ut actioni simpliciter notionem adderet, qua illa completeretur et suppleretur. Probatur hoc constructione illa qui accusatiuus cum infinitiuo uocatur: qui quidem omnino explicari nobis uidetur non posse, nisi accusatiuo etiam latino haec uis concedetur<sup>4)</sup>. Idem intellegitur ex paucis aliis quae ex

1) Conf. I. Grimm, Geschichte der deutschen Sprache p. 912. Westphal in Kuhns Zeitschrift II, p. 161 sqq.

2) Dubitatur tamen a nonnullis an datiuus linguae latinae respondeat sanscrito locali; marut-i. Cf. Heyse l. c. p. 435. 441. Id quod ut recte statuant, tamen nostra casuum interpretatio nullo modo euertitur: nam facile fieri potuit, ut hae casuum formae, praesertim cum non inter se different, nisi quod altera in e, altera in i exiret, paullatim confunderentur. Notio datiuui latini tamen eo non immutata est, neque est cur etiam uim localem ei antiquitus fuisse existumemus.

3) Conferas ad totum hunc locum: De genetiui a. g. p. a. usu p. 25. sqq.

4) De accusatiuo cum infinitiuo conf. Reisig, Vorlesungen über die lateinische Sprachwissenschaft p. 783. cum adnot. 601 b., et in primis quae de hac re attulit doctissimus uir mihius amicissimus O. de Golenski, de infinitiu apud poetas latinos usu. Regim. Pr. 1864. p. 54 sqq. Parum diligenter de eadem re scripsit Merguet, de usu syntactico infinitui latini maxime poeticu. Regim. Pr. 1863. p. 11 sq. Nam si dicitur germanice ich sehe dich dieses thun, angl. I ordered him to obey, ital. tutti concedono la vertù essere necessaria alla felicità, polon. prosil mnie pokazac mu twój obraz, res longe aliter se habet. Comparari tantum potest hisp: Es amitido ser la literatura castellana una de las mas ricas de Europa. Atque profecto is naturam antiquarum linguarum intellexisse non uidetur, qui putet accusatiuum proprie obiectum uerbi esse et huic obiecto infinitiu adici. Accedit quod ista interpretatio persaepe omnino admitti non potest ut si latine dicitur: apertum est hunc hominem sceleratum esse. Sed proprium est ueterum linguarum, quae fuit earum natura synthetica, totas sententias eadem ratione qua casus actioni subiungere; id quod idem uidemus in genetiuo absoluto. (Cf. De genetiui a. g. p. a. usu p. 34 sq.) Atque similiter ac participio, cum uerbo cogitandi aut dicendi ea quae cogitata aut dicta essent subiuncturi, infinitiu utebantur, qui actionem ipsam significat, nulla ratione habita temporis, numeri, generis, personae. (De infinitiu temporibus a uerbi finiti temporibus longe diuersis conf. Heyse l. c. p. 425). Sin autem in infinitiu personae nullus

uetustiore usu in posteriorem sermonem irrepserunt. Sic dicitur magnam sive maximum partem Cic. Tusc. IV, 5, 9. magnam partem in iis—occupati sunt. Luer. III, 64. haec uolnera uitae non minima partem mortis formidine aluntur; sollicitus vice in alienius. Liu. XXVIII, 19, 17. id genus, id aetatis Plaut. Trin. III, 3, 59. Asin. I, 1, 56. Mil. III, 1, 24. 65. Terent. Heaut. I, 1, 58. (Cf. Ennium ap. Uarr. de l. l. VII, 73. quid noctis uidetur in altisono caeli clipeo). Denique hue pertinet, quod apud Plautum persaepe legitur accusatiuus adiectiuu alii adiectuo aut aduerbio aduerbiali ui adiectus: Trin. III, 1, 19 nimium difficilest Mostell. III, 3, 5. insanum bona porticus Mil. I, 1, 24 (ex Ritschl. coni.) unum epityrum estur insanum insane bene. Posteriore tamen aetate accusatiuus multo angustioribus cancellis circumscriptus erat; solusque ei locus erat apud uerba, quae per suam ipsorum naturam complementum desiderabant. Significat autem plerumque rem affectam. Plaut. Trin. III, 1, 117. ut inimicos tuos ueliscare. Naeu. ap. Cie. Orat. 45, 152. nos qui accolitis Histrum fluuium. Ou. Met. I, 369. adeunt pariter Cephisidas undas. Eadem est ratio accusatiuui, qui additur uerbis impersonalibus: Plant. Mil. III, 1, 30. si quidem te quidquam quod faxis pudet. Genetiuus autem significat, intra cuius notionis ambitum uel pudor uel taedium uel poenitentia cadat: Plaut. Trin. II, 2, 61. ut ita te aliorum miserescat, ne tis alios misereat. Enn. ap. Cie. de din. I, 31, 66. uirgines aequales uereor patris mei meum factum (= meorum factorum) pudet optumi uiri. Mea mater, tui me miseret, mei piget. Neque aliter explicandum est, quod nonnulla uerba, quae proprie ablatiuum postulant, etiam accusatiuum sibi sumunt: Naeu. ap. Nonn. 481, 21. die quo pacto eum potiti sitis (Cf. Enn. ap. Fest. p. 360 M. meae tam potis pacis potiri) Plaut. Trin. II, 2, 72. munus fungatur suom Ter. Ad. III 4, 18. neque boni neque liberalis functus officiumst uiri. Idem accusatiuus a poetis uerbis mouendi additur, ut significet locum, quem quid petat: Uerg. Aen. I, 2. Italianam fato profugus, Lauiniaque uenit litora Ecl. I, 65. ibimus Afros.

Tum accusatiuus rem actione aut effectam aut perfectam significat. Huius generis est accusatiuus apud uerba faciendi, indicandi, nominandi, docendi, qui duplarem admittunt accusatiuum, rei effectae et rei affectae. Eadem ratione interpretamur accusatiuum loci et temporis: Plaut. Trin. II, 4, 142. sex menses vixerit. Ille autem qui tam uarius est apud graecos huins accusatiuui usus, ut significet quid actione perficiatur, in latino quidem sermone exceptis uerbis olendi et sapiendi aut neutro adiectiuorum (ut Uerg. Aen II, 690 aspice nos hoc tantum) fere poeticus est: Cie. de fin. II, 34. Xerxes cum maria ambulauisset terramque nauigasset. Uerg. Aen. I, 67. Tyrrhenum nauigat aequor ibid. 524. maria omnia uecti. Plant. Trin. II, 2, 21. tuis fseruiui seruitutem imperiis, cf. Brix ad l. Mil. II, 1, 17. 6, 2. III, 1, 150. Cic. pro Mur. 29, 61. si seruitutem seruant; Auson. Idyll. IV, 95. lumen tuae praeluceo uitae; Ouid. Trist. IV, 10, 50. erire carmina lyra Prop. Eleg. V, 20, 8. lacrimas defluit Petron. 71. dolia effiuunt uinum Tibull. IV, 1, 86. Prop. Eleg. II, 7, 11. qualis caneret tibi somnos tibia Uerg. Ecl. IV, 46. saecula

---

est locus, necesse erat, eum a quo actio infinitiu profecta cogitaretur, non nominatio exprimi, sed eo casu quo simplicissime notiones cum notionibus coniungerentur, accusatiuo. Qua in re quanto subtiliores fuerint ueteres recentioribus, intelleges, si comparaueris ita: Non so dir la ragione dell'essere io il bersaglio della fortuna.

currite Aen. I, 176. rapere flamمام (i. e. rapiendo efficere). Quid, Trist. I, 1, 108. euigilare libros, Fast. III, 22. furta fecellit; audacius est, sed quod rursus proprius ad accusatiuum rei affectae accedit: Plaut. Mil. III, 1, 102. deperire hunc militem cf. ibid IV, 2, 9. III, 3, 58. IV, 1, 23; IV, 2, 49. demoritur te Uerg. Ecl. II, 1. formosum pastor Corydon ardebat Alexim. Ex graeco sermone autem prorsus repetitum est Enn. ap. Cic. de senect. V, 14. uicit Olympia Uerg. Aen. XII, 197. Terram, Mare, Sidera iuro Tibull. IV, 13, 15.

Atque ita graecorum usum multo latius imitati posteriores poetae accusatiuo maiorem uarietatem reddere conati sunt. Ut coepiunt duplii accusatiuo qualis apud graecos inuenitur: Uerg. Aen. X, 698. Latagum occupat os XII, 275. iuuenem transadigit costas. Frequentissime autem accusatiuuus a poetis passiuo additur: Horat. sat I, 1, 5. multo iam fractus membra labore carm. I, 1, 21. Uerg. Aen. IX, 478. XI, 480. Ouid. Met. I, 265. terribilem picea tectus caligine uultum ibid. XIII, 772. Scylla feris atram canibus succingitur aluum. Uerg. Ecl. III, 106. flores inscripti nomina regum Georg. II, 131. Aen., I, 228. 658. IV, 495. IX, 582. Ouid. Met. III, 598. dextris adducor litora remis. Hor. ep. II, 2, 125. Satyrum mouetur. Uerg. Aen. III, 284. interea magnum sol circumuoluitur annum. Multo rariora sunt illa exempla, quibus accusatiuuus adiectiuo apponitur, ut Uerg. Aen. I, 589. os humerosque deo similis, ubi a poetis genetiuuus potius, in prosa oratione ablatiuus usurpat, ut Cic. Cat. IV, 8, 17. fortuna miseri aut uoluntate perdit. Rarissimum autem quod apud Uergilium legitur Aen. VIII, 114. qui genus?

Etiam datiuus latinus caret illa uarietate quam in graeco datiuo reperis. Notat autem eam rem, quae non tam actionem patitur quam ipsa actua excipit. Nam cui datur is accipit, cui nubitur is in matrimonium dueit, cui inuidetur is inuidiam percipit. Id quod maxume perspicitur, si comparas uerba quae tum accusatiuum tum datiuum regunt, ut manere aliquem et alicui, consulere aliquem et alicui, curare aliquem et alicui, quod est apud Plaut. Trin. IV, 3, 51. qui rebus curem publicis, et alias, orare aliquem et alicui Plaut. Epid. V, 2, 55. quid isti oratis opere tanto? Ita fit, ut pronomen suus saepe a Plauto datiuo sibi augeatur Trin. I, 2, 119. suom sibi Mil. III, 1, 38. sua sibi ingenua indeles. cf. Lindem. ad. I. Uerg. Aen. IX, 273. suaque omnibus arma. Atque hac ratione etiam interpretandum est illud Horatianum sat. I, 1, 50. quid referat intra naturae fines uiuenti. Amant autem datiuum in primis poetae, quo res quasi agere fingant et animantium specie induant: Ouid. Met. XIII. 668 tollentes coelo bracchia Uerg. Ecl. VIII, 101. rino fluenti transque caput iace Aen. II, 276. Phrygios iaculatus puppis ignis Georg. IV. 562. uiamque affectat Olympo Aen. II. 246. fatis aperit futuris ora Prop. Eleg. I, 15, 29. Neque ab hoc alienum est, quod etiam in prosa oratione datiuus usurpat ad finem notandum quem quid spectet: decemviri legibus scribundis; Enn. ap. Cic. de diu. I, 31, 66. Namque Apollo fatis fandis dementem inuitam ciet. Plaut. Trin. III, 2, 6. ut sic odio esses mihi Mil. IV, 4, 12, omnia dat dono sibi ut habeat. At graecum est, non latinum Hor. carm. I, 3, 13. decertantem aquilonibus II, 2, 18. dissidens plebi. Nec minus ex graeco sermone irrepsisse uidetur datiuus apud passiuia: Ouid. Met. I, 335. eaua bucina sumitur illi: et etiam insolentius Uerg. Georg. II, 206 decedunt plaustra inuencis. Mentio denique facienda est duplicis datiuui apud Ouid. Met. IV, 536. aliqua et mihi gratia ponto est.

Uenimus ad genetiuum, qui casus cum proprie eam rem significet, intra cuius am-

bitum actio aliqua aut cadat aut cogitetur<sup>1)</sup>), certe latissumē patere aptissimumusque uideri potest quo eae maxime relationes, quae sensibus percipientur, illustrissume reddantur. Eam ob causam in sermone graecorum, qui notiones potius exprimant quam indicent, genetiu[m] tam saepe reperimus. Etiam in latino sermone geneti[u]o illam latiorem uim fuisse, elucet ex eo quod etiam postea genetiu[m] postulant uerba impersonalia, de quibus supra locuti sumus, uerba reminiscendi, accusandi, interest, refert, adiectua quae dicuntur relativa. Cie. de fin. V, 1. uiuorum memini nec tamen Epicuri licet obliuisci. Plaut. Trin. IV, 3 20. commeminit domi Cie. ad Att. IV, 15. intellectum est indices rempublicam flocci non facere. Plaut. Mil. II, 4, 18. quem pol ego capit is perdam. Uetustioribus temporibus etiam alia uerba genetiu[m] admirerunt, qui postea cum accusatiuo aut datino coniungi solebant, ut cupe re Plaut. Trin. IV, 1, 22. Mil. III, 1, 206. IV, 1, 17. Ter. Eun. IV, 7, 45. studere Poet. ap. Cicer. de nat. deor. III, 28. qui neque te amat neque studeat tui. Postea autem hic genetiu[m] non usurpatus est, nisi apud certa illa uerba, in quibus usu confirmatus erat. Proprius autem ei locus erat, cum nominibus apponetur possessiue aut qualitatue aut partitive.

Poetae etiam genetiui usum latioribus finibus circumscripserunt. Ac primum quidem laxiore quadam relatione cum substantiu[m] coniunxerunt: Plaut. Trin. II, 4, 91. scintillulam animae ibid. IV, 2. 44. concubium noctis ibid. V, 2, 34. mille auri Philippum dotis Mil. V, 1, 41. uiri seclus Stat. silu. V, 2. 47. apex bellorum Prop. Eleg. 1, 13. lumina fastus Lucret. III, 42. tartara leti Ouid. Met. V, 9. aeratae cuspidis hastam Hor. carm. I, 36, 13. multi Damalis meri III, 9, 7. multi Lydia nominis Sat. I, 1, 33. magni formica laboris. Inprimis autem genetiu[m] amabant apud adiectua quo omnia significant, in quibus uis adiectui posita esset: Enn. ap. Cie. de orat. I, 45, 199 summarum rerum incerti Naeu. apud Priscian. VI. p. 695 P. ignotae iteris sumus Liu. IV, 57. incertus sententiae Ouid. Heroid. 21, 31. incerta salutis Met. XV, 438. dubio salutis ibid. V. 129. ditissimus agri Horat. Sat. I, 1, 79 pauperrimus esse bonorum ibid. I, 9, 11. cerebri felicem Plaut. Trin. II, 4, 53. satin tus sanus mentis aut animi tui. Cat, 63, 4. uagns animi Ouid. Met. VIII, 614. mentis ferox Uerg. Georg. IV, 491. uictus animi Aen. X, 630. ueri uana XI. 19. praestans animi Sil. Ital. 17, 414. feruidus ingenii Masinissa et feruidus aeui Horat. carm. II, 2, 6. notus in fratres animi paterni Uerg. Aen. XI, 416. fortunatusque laborum egregiusque animi Hor. Carm. III, 17, 6. operum solutis. Etiam apud uerba idem genetiu[m] inuenitur: Plaut. Mil. III, 1, 124. continuo excruciarer animi ibid. IV, 2, 76. Ter. Ad. IV, 4, 1. discrucior animi Phorm. I, 4, 9. Uerg. Aen. XI, 126. iustitiaene prius mirer belline laborum. Graeco more etiam apud uerba desinendi et soluendi legitur: Hor. Carm. II, 9, 17. desine mollium tandem querellarum Uerg. Aen. X, 441 tempus desistere pugnae Liu. XXI, 62. animum leuare religionis Tib. I, 7,

1) Confirmatur haec nostra sententia quam proposuimus De genetiui a. g. p. a. usu p. 33, lingua polonica, in qua uerbum transituum si affirmatiue dicitur cum accusatiuo, si negatiue cum geneti[u]o coniungitur. Loquuntur igitur: dal mi pieniadze, sed nie dal mi pieniedzy; quam rem mihi non satis recte uidetur interpretari Malecki, qui ita disputat in gramatyka polskiego j zyka § 667: „W takim razie bowiem, splywajaca sk\_ding\_d czynosc pzechodnia na swj biernik obraca sie w przeciwnieństwo tego, czem bila dawniej, i zamiast nań pzechodzic stroni od niego. Nam si rem diligenter animum aduertes, actio negatiua obiectum habere non potest, sed intra alieuius obiecti ambitum cogitatur: quo fit ut in ea lingua quae has relations accuratius inter se

40. pectora tristitiae dissoluenda dedit. Denique commemoramus genetium gerundii finalem, qui nostra casum interpretatione facile expeditur. Ter. Ad. II, 4. 6. ne id assentandi magis quam quo gratum habeam facere existumes. Tac. Ann. I, 4. Quint. X, 1, 49. quae probandi et refutandi sunt.

### §. 5. De Ablatiuo.

Ablatiuum latinum si ab illis tribus quas proxuma paragrapgo tractauimus casibus profecti nunc persequi instituimus, in longe alias quasdam oras et paene contrarias deferimur regiones. Nam in ablatiuo illae tres quae antiquitus instrumental, locali, ablatiuo subfuerunt notiones conglutinatae et constrictae sunt, ita ut omnia ea quae Romani a ceteris casibus excluderunt et remouerunt, in ablatiuo sint conlata. Quo factum est ut uberiorem et feraciorem eum fingerent ceteris casibus, quamquam etiam hoc loco nim illam dicendi et inuentionis desideramus. Nam licet latinos casus persequentes hoc maxime delectemur et alliciamur, tamen ne ablatiuo quidem tam expressus est et dilucidus, ut res rerumque relationes quasi imagine reddantur.

Atque forma quidem ablatiui originem duxit ex sanscrito ablatiuo. Nam constat etiam latinum ablatiuum primitus in d exisse, ita ut inter se respondeant sanscr. mat, lat. med, sanscr. tvat tat. ted etc. Remansit hoc d in conjunctione sed, et in uerbis compositis prodire, redire. In plurali numero iam in lingua sanscrita ablatiuo et datiuo eadem formae sunt.

Notio nero ablatiui, id quod supra diximus, conflata est ex sanscrito instrumental, locali, ablatino<sup>1)</sup>, sed ita, ut omnes hae notiones sub instrumentalem subicerentur et in hanc unam notionem coalescerent. Haec uis instrumentalis quin ablatiui fuerit principalis iam uix dubitari potest: tamen caue nimis exiguis finibus totum instrumentalis munus circumdes: imo ablatiuo instru-

1). Iis qui comparatione linguarum et literis linguisticis delectantur, haud ingratum fore arbitror, si hoc loco breuiter comprehendam, quae Schweizer (Höfers Zeitschrift für die Wissenschaft der Sprache. vol II. p. 444-456. vol. III p. 348-368) de ablatiui et instrumentalis in Vedis carminibus indicis antiquissumis usu et significatione contulit. Sunt autem haec:

I. Ablatiuus notat separationem, quod iam nomen indicat: apādānam i. e. casus auferendi.

- 1) Est autem primum localis et ponitur
  - a) apud uerba mouendi ad locum notandum, unde motus initium capiat;
  - b) transfertur deinde etiam ad alia uerba, sed in quibus motus notio quaedam inest, ut ad uerba oriendi, auferendi, soluendi, bibendi, quibus addi possunt uerba fundendi atque etiam uerba dandi.
- 2) Ablatiuus est causalis
  - a) apud uerba metuendi,
  - b) apud uerba liberandi et tutandi,
  - c) per se, reoppondens praep. ex, ob,
  - d) apud comparatiuos aliasque uoces, quae nim habent gradationis.

II. Instrumentalis (sanscr: karanam i. e. casus instrumenti) significat

- 1) fere idem, quod praepos. cum. Dicitur autem
  - a) de hominibus apponiturque nonnunquam uocabulis coniungendi,
  - b) de rebus, praecipue de condicione accidente, unde transfertur etiam ad locum,
  - c) respondet paene genetiuo qualitatis,
  - d) significat modum.
- 2) Instrumentalis est causalis et
  - a) simpliciter causalis;
  - b) notat hominem, per quem quid fiat;
  - c) notat instrumentum, quo quid fiat,

mentali omnia ea notantur, in quibus actio uestetur<sup>1)</sup>. Itaque differt a genetiuo eo, quod genetiuus eius quasi generis actio sit indicat, ablatiuus quae momenta ad actionem accedant: neque confundendus est cum praepositione cum: etenim praepositione cum ea adduntur, quae cum re aliqua coniuncta sint, ablatiuo ea quae ad actionem pertineant, ita ut aliud sit studio aliquid facere (studiose) aliud eum studio (i. e. studio adhibito). Liceat nobis hanc ablatuiu nim instrumentalem nonnullis exemplis demonstrare et inlustrare: Plaut. Trin. I, 2, 53. haud dicam dolo II, 2, 63. pol pudere quam pigere totidem praestat literis IV, 2, 10. eo ornatu aduenit ibid. 121. aggrediundust hic homo mi astu Mil. III, 2, 36. capite sistebant eadi Cic. Cat. I, 7, 17. cum conscientia scelerum tuorum agnoscas odium omnium iustum pro Rose Am. 32, 91. ut omnes intellegant me non studio accusare, sed officio defendere Ouid. Met. VII, 339. his ut quaeque pi a est hortatibus impia prima est ibid. XII. 532. credita res auctore suo est VII, 555. ductus anhelitus igni Uerg. Georg. II, 63. sed truncis oleae melius, propagine uites respondent Aen. V. 369. magnoque nirum se murmure tollit VII, 249 talibus Ilionei dictis ibid. 284 talibus donis redeunt Prop. Eleg. III, 22, 13. Qua rudis Argoa natat inter saxa columba pinus III, 17, 21. Aetneo fulmine partus. I, 19, 19. quae tu uiua possis mea sentire fauilla. Tibull. I, 1, 72. dicere nec cano blanditias capiti. Et in ablatiuo gerundii: Uerg. Aen. II, 6. fando=dum fatur. Hinc profectus facillume interpretabere ablatiuum absolutum; ablatiuum qualitatis, qui eo maxume a genetiuo differt, quod genetiuus intra quam quid qualitatem cadat, ablatiuus cum qua qualitate coniunctum sit, significat; Uerg. Aen. I, 75. pulchra prole parentem Ouid. Met. I, 446. celebri certamine ludos Aen. III, 618. domus sanie dapibusque eruentis; tum ablatiuum, qui coniungitur cum deponentibus, cum uerbis emendi, complendi, egendi, participandi, communicandi, prehendendi: Plant. Mil. III, 1, 66. cedo tris mi homines aurichaleo cum istis moribus. Naeu. ap. Fest p. 170. M. neminem uidi qui numero sciret quam quo scito opus est. Plaut. Mil. I, 1, 51. communicabo semper te mensa mea Luer. III, 692. dentes sensu participantur Plaut. Trin. III, 1, 22. reprehendit pallio Cic. ad Att. IV, 16. fratrem meum et te si habebo, isti pedibus trahantur. Eiusdem generis est ablatiuus apud esse, fieri, facere talibus locis: Plant. Mil. II, 3, 28. quid fuat me. Trin. I, 2, 120. si quid eo fuerit Poen. I, 1, 86. quid ea drachuma facere uis? Most. I, 3, 74. quid illis futurum est ceteris? Mil. IV, 1, 26. quid illa faciemus concubina? Dein additur ablatiuus instrumentalis adiectiuis: Cic. Phil. 3. 6 uetustate antiquissimum, iure foederatum, propinquitate paene finitimum, splendore municipium honestissimum. Eadem uia instrumentalis legitur apud comparatiuos, cum significet, ant cuius ratione habita aliquis maior sit aut qua re praestet: utrumque ad praestantiam pertinet. Paullatim autem ablatiuus usu ita conformatus est, ut imprimis aut instrumentum aut caussam notaret, ut iam apud Plaut. Amph. I, 2, 212. Mercurio iocari licet: At mentiris etiam: certe pedibus, non tunicis uenis. Ouid. Met. VII, 433. Te, maxime Theseu, mirata est Marathon Cretaei sanguine tauri. Poetae, quamuis rarissime, etiam in nominibus personarum hoc ablatiuo utuntur: Horat. Carm. I, 6, 1. scriberis Uario for-

1). Quae contra haec disputat Seyffert. Lael. q. 337. sq. quamquam prorsus diuersa spectare uidentur, tamen facile cum nostra sententia congruunt. Nam ne nos quidem id contendimus omnes res, quae ad actionem accedant, ablatiuo reddi, sed eas condiciones, quae cum actione arctissime connexae sint.

tis et hostium uictor Maeonii carminis alite. Ep. I, h, 94. curatus inaequali tonsore capillos Prop. Eleg. I, 13, 13. augure doctus Iuuuen. VI, 130. et lassata uiris needum satiata excessit. Deinde ablatiuus notat et tempus et locum, sed ita, ut describatur qua quid ut ita dicam condicione siue locali sine temporali fiat. Itaque quum proprie etiam hoc loco sit modalis, differt a locali, quo locus et tempus localiter vel temporaliter definiuntur. Quo modo autem uis instrumentalis ad tempus referri potuerit, optime intelleges ex illis ablatiuis discessu, aduentu et simil, de quibus disserit Nägelsbach, Lateinische Stylistik p. 261: Uerg. Aen. X, 445. At Rutulum abscessu iuuenis tum iussa superba miratus stupet in Turno. Sil. Ital. 9, 487. remeantis in aethera diuae abscessu Cie. pro leg. Man. 8, 20 eius aduentu maxumas Mithridatis copias omnibus rebus ornatas atque instructas fuisse in Uerr. IV, 34, 76. Caesar B. G. V, 54. Quo fit ut ablatiuus temporis a poetis saepe usurpetur ubi accusatum postulant praecepta grammatica: Ouid. Met. X, 73. septem tamen ille diebns sedit XIV, 227. flatuque secundo lucibus isse nouem VII, 307. ille breui spatio silet et dubitare uidetur. Localis autem ablatiuu uis fere poetica est: qua quam incerte et indefinite locales relationes reddantur ex his uideas exemplis: Uerg. Aen. VII, 140. duplicitis Coeloque Ereboque parentes III, 502. populosque propinquos, Epiro, Hesperia VIII, 610, ut procul et gelido secretum flumine uidit Prop. Eleg. I, 14, 1. 2. Tu licet abiectus Tiberina molliter unda bibas II, 13, 35. Illis formosam iacuisse paludibus. Ouid. Met. I, 13. nec brachia longo margine terrarum porrexerat Amphitrite Uerg. Aen. IV, 373. electum litore.

Restat ut de ablatiuu ui loquamur, ex qua haud ita pauci fuerunt qui totum ablatiuum profectum esse existumarent. Atqui neque ille tam uarius ablatiu usus ex ni ablatiu deduci potest neque hac ratione ablatiuus ponitur, nisi in ipso uerbo amouendi vel separandi quaedam notio inest. Quam ob rem in prosa oratione fere non usurpatur, nisi apud uerba composita, ut modaliter actionem remouendi describat: atque etiam si poetae aliis uerbis eum adiungunt, tamen notio ablatiu semper non in easu inest, sed ex uerbo intellegitur: Ou. Met. I, 266 canis fluit unda capillis ibid. 269, densi funduntur uertice nimbi Uerg. Aen. X, 544. ueniens Marsorum montibus Umbro. Qualitatius quodammmodo est ablatiuus substantiis appositus, ut: Caes. B. C. I, 24. Cn. Matius Cremona Uerg. Aen. X, 141. Maeonia generose domo Orelli. Inser. lat 3708. Flaminius domo Catina.



**Schulnachrichten**  
für die Zeit  
von Ostern 1864 bis Ostern 1865.

**A. Lehrverfassung.**

**Prima.**

Ordinarius: Dr. Czaplicki.

- 1) Religion 2 St. w. comb. mit Secunda.  
a) katholisch: 1 St. Glaubenslehre: von der Offenbarung, von der heiligen Schrift und Ueberlieferung, von Gott und Gottes Dasein, von der Schöpfung der Körper- und Geisterwelt. 1 St. Kirchengeschichte der 3 ersten Jahrhunderte, mit besonderer Berücksichtigung der Christenverfolgungen. Im Laufe des Schuljahrs lieferten die Schüler 3 schriftliche Aufsätze. Garsztka.

b) evangelisch: Kirchengeschichte von Gregor d. Gr. bis zur Reformation 1 St. Der Römerbrief in der Ursprache gelesen und erklärt 1 St. Wiederholung einzeln. Kirchenlieder. Schönfeld.

- 2) Lateinisch 8 St. w. Im S. Taciti Annal. lib. 1. 3 St. Cic. Tuscul. disput. lib. 3. 1 St. Im W. Cie. de off. lib. 1. 3 St. Cie. Tuscul. disp. lib. 5. 1 St. Uebersetzung aus Sulp. 1 St. Extemporalien und Exercitien. 1 St. Wöchentlich 1 cap. aus Cie. retrovertirt.

**WYKŁADOMOSĘCZ**  
**szkólne**

od Wielkanocy 1864 do Wielkanocy 1865.

**A. Rozkład nauk.**

**Klasse I.**

Ordynariusz: Dr. Czaplicki.

- 1) Religia 2 gdz. (kl. I. z kl. II.)  
a) katolicka: 1 gdz. Nauka wiary o objawieniu, o piśmie św. i tradycyi, o bogu i jego bycie, o stworzeniu świata cielesnego i duchowego. W 1 godz. wyłożono dzieje kościoła śgo. trzech pierwszych wieków, przyczem szczególniej się zajmowano historią prześladowań chrześcian. W ciągu roku oddali uczniowie trzy wypracowania pisemne. X. Garsztka.

b) ewang. Wyłożono dzieje kościoła od Gregorza W. aż do reformacji 1 gdz. List do Rzymian w języku pierwotnym czytano i objaśniano. 1 gdz. niektóre pieśni kościelne powtarzano. Schönfeld.

- 2) Łacina 8 gdz. tyg. Latem: Tac. ann. lib. 1. 3 gdz. Cic. Tusc. disp. lib. 3. 1 gdz. Zimą: Cie. de off. lib. 1. 3 gdz. Cicero Tusc. disp. lib. 5. 1 gdz. Tłumaczono z Stipfiego 1 gdz. Extemporalia i exercitia 1 gdz. Co tydzień retrowertowano 1 rozdział z Cicer.

Alle 4 Wochen ein Aufsatz. Czaplicki. Horat. carm. lib. 3 und 4, Sat. I. 10; II. 1, 5, 6. Ars poetica 2 St. w. Im S. Luke, im W. Ebinger.

3) Griechisch 6 St. w. Demosth. orat. Philipp. 1, 2, 3. und die Rede über den Frieden. Sophocles Antigone und Electra. Exercitien und Extemporalien 1 St. Homer Ilias lib. 13, 14, 16, 18, 21—23 Privatum II. lib. 15, 17, 19, 20, 24. Der Direktor.

4) Deutsch 3 St. w. Literaturgeschichte von der ersten schlesischen Schule bis auf Götches Tod. Gelesen wurden in der Klasse die Liebelungen und Lessings Nathan, und Proben zu den besprochenen Schriftstellern. Privatum: Schillers Braut von Mejina, Götches Faust Th. 1, Lessings Hamburgische Dramaturgie, Dispositionssübungen, sowie Vorträge. Alle 4 Wochen ein Aufsatz. Im W. 1 St. w. Philosophische Propädeutik. Angewandte Logik: Begriffsentwicklung, Eintheilung und Disposition, die Lehre von den verschiedenen Arten des logischen Schlusses. Ebinger.

5) Polnisch 2 St. w. Literaturgeschichte vom 16.—18. Jahrh. Freie Vorträge. Alle 4 Wochen ein Aufsatz. Czaplicki.

6) Französisch 2 St. w. Aus Herrig und Burguy „la France littéraire“ ausgewählte prosaische und poetische Stücke. Alle 14 Tage eine schriftliche Arbeit. Im Somm. Luke. Im W. Schäfer.

7) Hebräisch 2 St. w. Genes. c. 37—46; 1. Samuel 1—5. Grammatik: die Zahlwörter, Partikeln, die Nominallehre und Syntax. Schönfeld.

8) Geschichte 3 St. w. Geschichte des 17. und 18. Jahrh. In 1 St. Repetition der Geschichte des Alterthums u. Mittelalters. Der Direktor.

9) Mathematik 4 St. w.

a) Geometrie 2 St. Trigonometrie; Wis-

Co 4 tyg. wolne wypracowanie. Czaplicki. Hor. carm. lib. 3, 4. Sat. I. 10; II. 1, 5, 6. Ars poetica 2 gdz. tyg. Latem Luke. Zima Ebinger.

3) Greckie 6 godz. Demosth. oratn. Philipp. 1, 2, 3 i mowę o pokoju. Sophocles Antigone i Electra. Exercitia i Extemporalia 1 gdz. Hom. Ilias lib. 13, 14, 16, 18, 21—23. Prywatnie II. lib. 15, 17, 19, 20, 24. Dyrektor.

4) Niemieckie 3 godz. Wyłożono dzieje literatury od pierwszej szkoły śląskiej aż do śmierci Góthego. W klasie czytano: Niebelungenlied i Lessinga Nathan i proba autorów w dziejach nadmienionych. Prywatnie czytano z dzieł Szyltera; Dziecię Mesyńska, Góthego Fausta 1. część, z dzieł Lessinga: Hamburgską dramaturgią. Ćwiczenia w dyspozycyach i wolne wykłady. Podeczas zimy w 1 gdz. wyłożono propedeutykę filozoficzną. Logikę zastosowaną o rozwoju pojęciowym, o podziale i dyspozycji o różnorodnych gatunkach wniosku logicznego. Ebinger.

5) Język polski 2 godz. Dzieje literatury od 16.—18. wieku. Wolne wykłady. Co 4 tygodnie wypracowanie. Czaplicki.

6) Język francuski 2 godz. Z Herriga i Burguy la France littéraire czytano ustępy prozaiczne i poetyczne. Co 2 tygodnie na przemian exerc. lub extemp. Latem Luke. Zima Schaefer.

7) Język hebrajski 2 godz. Genes. c. 37—46; 1. Samuel 1—5. Gramatika: o liczebnikach, partikulach, imionach; składnia. Schönfeld.

8) Historia 3 godz. Wiek 17. i 18. W 1 godz. powtarzano hist. starożytną i średnią. Dyrektor.

9) Matematyka 4 godz.

a) geometrya 2 gdz. Trygonometrya.

Verholung und Erweiterung des Pensums der Secunda. Repetition mehrerer Abschnitte der Planimetrie.

b) Arithmetik 2 St. Die Combinationslehre, der binomische Lehrfaz, Übungen im Ansetzen von Gleichungen. Diophantische Gleichungen. 14tägige häusliche Arbeiten aus allen Gebieten der Elementar-Mathematik. Lehrbuch: Kambly Schmidt.

10) Physik 2 St. w. Optik; Wärmelehre. Lehrbuch: Trappe. Schmidt.

## Secunda.

Ordinarius: im S. Luke, im W. Ebinger.

1) Religion combinirt mit Prima.  
2) Lateinisch 10 St. w. Sallust: Catilina, Cicero in Catilinam I—IV., Lælius, Cato major Privatum: Sall.: Jugurtha, Liv.: lib. 21 c. 36—lib. 22. Grammatik: Moisiztzig §. 483—830; Wiederholung der Formen- und Kasuslehre, Übersetzung aus Süpse. Wöchentliche Exercitien oder Ext temporalien. Die Ober-Secundaner liefern im W 6 lateinische Aufsätze. Im Sommer Luke, im Winter Ebinger.

Virgil Aeneis lib. 6; einige Elogen. Metrische Übungen 2 St. Czaplicki.

3) Griechisch 6 St. w. Prosa 4 St. Im S. Herod. lib. 9 bis c. 102. Im W. Isoerates Panegyricus. Syntax des Nomens, Exercit. nach Halm und Ext temporal. Der Direktor. Homer Odyss. lib. 4—10. 2 St. Jung.

4) Deutsch 2 St. w. Lektüre der lyrischen und didaktischen Gedichte von Schiller; einzelne Gedichte von Göthe, Hermann und Dorothea, H. v. Kleist's Prinz von Homburg. Privatum: Maria Stuart, Wallenstein, Jungfrau von Orleans. Monatlich ein Aufsatz. Jung.

5) Polnisch 2 St. w. Gelesen wurde Mickiewicz „Pan Tadeusz“. Alle 4 Wochen ein Aufsatz, wöchentlich freie Vorträge. Czaplicki Die deutschen Schüler von Prima und Secunda waren combinirt. Prosaische u. poetische Stücke

Powtarzano i uzupełniono zadanie klas II. jako też kilka oddziałów z planimetrii.

